



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 48. de beneficijs Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLVIII.

*De decimo medio meditationem atque affectus
ejus ampliandi, sive de Beneficiis Dei, quibus ad
perfectionem nos invitat.*

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, ut
suprà.

Job. 11.

*Ad quid
creatus es.*

*Laurent. Iust.
lib. 1. c. 5.*

Isaia 45.

1. Pet. 2.

Electio Dei.

*Quot quan-
taque bene-
ficia.*

PUNCTVM I. Considera Primò, hominem à Deo
ejus beneficiã ex nihilo creatum esse, ad imaginem
& similitudinem ipsius; ac proinde non sicut pullum
onagri liberum, sed Deo subjectum esse oportere; eju-
que non mandatis tantum, sed nutibus & inspirationi-
bus, si suo rectè velit munere fungi, obedire. Ad hoc
enim creatus est à Domino, cujus ipse totus est. Cla-
mat, ait Laurentius Iustinianus, innata ratio, ut quisque
se illi subjiciat, à quo habet, ut sit: numquid ergo glo-
riabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exalta-
bitur serra contra eum à quo trahitur? quomodo si ele-
vetur virga contra elevantem se. Væ qui contradicit fi-
ctori suo, testa de famis terræ: numquid dicet lutum
figulo suo, Quid facis? aut homo, Quare præcipis no-
bis, aut exiges hæc? hæc verba appende & ingrati-
tudinem tuam. *Heccine vera*, ut sup. pag. 7. Considera etiam
præstantiam & excellentiam divinæ majestatis, præfer-
tim si nobiscum comparetur, eaque de causâ studen-
dum illi omnibus modis placere & servire, cum mi-
nùs præstantia aliis præstantioribus naturaliter sub-
dantur, *Credo tibi*, ut suprà pag. 7. Secundò, incarnatio-
nis redemptionis beneficium expende, emptosque
esse nos precio magno, sanguine Agni immaculati, ut
glorificemus & portemus eum in corpore nostro. Ter-
tiò, etsi ista magna sint, valdè tamen illustrantur, si at-
tendamus Deum ab æterno nos elegisse, ante mundi
constitutionem, ut essemus filii ejus & vasa in hono-
rem; ad hoc media decrevisse. & mox ut nati sumus, ad
Baptismi

Baptismi fontem perduxisse, in Ecclesiâ educasse, in at-
ca vera constituisse, Sacramenta dedisse, ut essemus ge-
nus effectum, regale sacerdotium, gens sancta, populus *1. Pet. 2.*
acquisitionis, ut que virtutes ejus annuntiaremus. Mi-
sericordissime Deus, quid retribuam æternæ bonitati
tuæ, qui me video vocatum ad fidem & gratiam tuam,
& simul innumeros in gentilitate & perfidiâ nasci &
mori? Certe bone JESU, non possunt mihi mandata tua
& consilia esse gravia, & virtutem, id est, pulcritudi-
nem, salutem, decorem, opes, gloriam animæ meæ am-
plecti: præsertim cum non solum tanta dederis, sed
etiam majora multò promiseris, ostentans perpetuò
cælum, solium regni tui, præmium nostrum inferno
abstruso: quia amari mavis, quàm timeri.

Magnificat, ut infra pag. 642.

PUNCTVM II. Considera quoties id Rom. 3. usurpa- *Demum cõ-*
re possis: Iustificati sumus gratis, per gratiam ipsius. *versionis.*
Quoties divina misericordia tam longanimiter te ad
pœnitentiam expectarit, & pereuntibus singulis ho-
ris millibus plurimis, tibi tamen pepercerit, cõ quòd
preciosa esset anima tua in conspectu ejus. Secundò, *Galat. v.*
expende hæc verba: Complacuit ei, qui me segregavit
ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut
revelaret filium suum in me. Et vocationi tuæ applica,
& peculiari gratiæ quæ radice instar est alias progig-
nens, aut fontis alias fundens. Etenim dum statum vel
munus Dominus largitur, etiam dat media & gratiam
ad illud obeundum. ut patet in ordine, Matrimonio *Religiosa*
&c. Si Religiosus es, Religiosæ vocationi tuæ accom- *vocatio*
moda, & vide ut vocatus sis de medio nationis pravæ, *quanti.*
& sæculo nequam vocatus es ad verum paradysum, &
felicitatem in terris, Apostolicum vitæ genus, certissi-
mam salutis viam. Verè applicare sibi quisque Religio- *Esther. 10.*
sus poterit illud Mardochei: Parvus fons crevit in flu-
vium magnum, in lucem solem quæ e conversus est, &
in aquas plurimas redundavit. Mox enim ut vox tua,
Domine

Domine JESV, in auribus meis audita est, ecce venērunt mihi omnia bona pariter cum illa, & gratiæ plurimæ redundarunt de pelago misericordiæ tuæ. *Magnificat*, ut infra pag. 642. Tertio, considera plurima alia particularia beneficia naturæ, quod bonis ortus parentibus, bonos nactus sis præceptores, socios, necessaria vitæ, quod tot creaturas dederit ad recreationem & necessitatem. Omnes enim etsi non immediatè, mediatè nobis utiles, & sæpè necessariæ sunt. Quæ egregiè profequitur Basilius homilia 3. Ex nihilo, ait, effecit, ut essemus, ac produxit, è terræ visceribus elementa eduxit, in ministerium dedit omnigenum pecus; propter rios imbres, sol, montana, campestris regio pulchrè exulta; propter nos omnes fluunt, promanant fontium scatebræ, &c. Quid jam dicam, amantissime Pater, si considerem quanta sunt, quàm multa incommoda, pericula, quæ aliis eveniunt, & à quibus me vilissimum peccatorem & ingratißimum præservare, vel eripere dignatus es? neque verò hæc omnia tanti fortè facerem, nisi hæc ex infinito amore viderem emanare ab æterno, ac prorsus gratuito. O quàm turpe nolle tibi Domino dulcissimo benefactori mutuum reddere amorem, sed eum tribuere vili creaturæ, & amore proprio à ter summo bono, & virtute N. averti.

Basili. ho. 3.

*Beneficium
magnum à
malis præ-
servari.*

August.

*Gratitudo
quam ne-
cessaria.
Isaia 1.*

Luc. 17.

PUNCTVM III. Considera Primò, quod, ut dicit Augustinus, cultus Dei in hoc maximè constitutus sit, ut anima Deo non sit ingrata, ingratiitudinemque Deo esse, uti etiam hominibus videmus, maximè odiosam: adeò ut Dominus, quasi tactus dolore cordis intrinsicus, dicat per Isaiam: Filios enutrivì, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Videan non sic de te queri possit, si sanctas ejus & plurimas ex infinito amore profectas inspirationes neglexeris. Cùm decem mundati essent leprosi, uno tantùm gratias agente, agebat JESVS, Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? non est inventus nisi hic alienigena, qui daret gloriam Deo.

Munda

Mundatus es à Domino, cave ne ingratus ejus respuas doctrinam, & exempla virtutis sequi. Secundò, considera secundùm D. Bernard. nihil adeò impedire ne orationes nostræ exaudiantur, atque ingritudinem. Quid sibi vult, ait, quòd incessanter orantes, obsecrantes, postulantes non exaudit, quibus tantam, & tam gratuitam misericordiam prærogavit? & respondet; nec reprehensibile quòd instantei petimus; sed planè petitioni negat effectum, quòd invenimur ingrati. Idem sermone in Cantica: Ingritudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio: ingritudò ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ. Vide igitur, cum Dominus tanta tibi conferat beneficia, & hæc non alio fine, quàm ut eum ames & per virtutem honores & colas, qualiter ei studere te oporteat, & retribuere tantæ majestati, tam amanter, tam dulciter à te flagitanti, ut se sequaris & ames. Tertiò, considera Primò, quid requiratur ad gratitudinem; nempe Primò, non dicere tantùm, Domine, Domine, sed facere voluntatem ejus. quæ enim gratiæ acceptæ esse poterunt, si labiis honoretur, & factis inhonoretur æterna bonitas? Secundò, ut verè gratis divinæ statuas bonitati servire, & dicere possis. Voluntatiè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est, & quoniam ex omni tribulatione eruisti me. Tertiò, ut offeras te magno affectu ad omnes labores & afflictiones à Domino immittendas: animumque resignatum, ut iisdem beneficiis, si ita ei placeat, priveris. Si enim tot bona de manu ejus accepimus, mala quare non suscipiamus? In omnibus igitur gratias agamus, & immolemus Deo sacrificium laudis, & reddamus Altissimo vota nostra. sacrificium enim laudis, ait, honorificabit me, & illic iter, quo tibi ostendam salutare Dei. hæc enim gratitudine ad aperienda mysteria sua maximè invitatur Dominus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Sf

Excr.

Bernard.
Ingritudo
orationes
facit ineffi-
caces.

Serm. 52.

Gratitudo
ut exigat.
Psal. 53.

Iob. 22.

Psal. 49.

Exercitium breuius.

Pfal. 115.

Quid retribuam tibi, Deus meus, pro omnibus quae retribuisti mihi, cor, corpus, & animam meam? credo enim tibi, & in te spero, & verè toto corde te diligo. Ecce vota mea tibi Domino meo reddam coram omni populo tuo, & desideria haec qui dedisti incipere N. dabis spero perficere. Spondent hoc beneficia plura, sanguis tuus & corpus pignora mihi sunt, sed super omnia charitas tua, quod non me desereres, neque dereliques. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Repleatur os meum laude tuâ, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam, & ut videant homines opera mea bona, & glorificent te qui in calis es. Amen.

Pfal. 66.

Exercitium longius.

Applicatio
ad Cômunionem.

Pfal. 144.

Pfal. 65.

Proverb. 8.

MAGNIFICAT anima mea te, Domine Deus meus, quia respicere me dignatus es de excelsis gloria tua. Quis enim sum ego, Domine, ut memor sis mei, & quae domus patris mei? N. Tu scis, & imperfectum meum viderunt oculi tui, & tamen haec spero, non avertisti tuos à me seruo nequam & prodigo, & ove errante, immò quotidie me pascis teipso, & nutritis sanguine tuo; & poteris oblivisci mei, aut ego tui? exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in saeculum saeculi. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in saeculum saeculi venite, & audite, & narrabo, omnes qui timeatis Deum, quanta fecit anima mea: ab aeterno ordinavit me ex antiquis, antequam terra fieret, & videns me in communi & infelici sorte filiorum Adam, originali labe damnationi obnoxium, ex infinitis propè millibus elegit ante constitutionem mundi; & antequam essem, ab aeterno dilexit; & cum jam esse coepissem, & adspicerem hanc lucem, illuminavit me luce verâ, & sol iustitiae ortus est mihi: aliis plurimis prematurâ morte raptis, me ad Baptismi gratiam, & fidem, ac Ecclesiae gremium perduxit, & aluit carne ac sanguine filii sui. & tamen, Pater benignissime, sciebas ab aeterno, quod aliquando te peccatis meis offenderem, quoties tibi insultarem, quod mihi amore tui dolet
quàm

quàm maxime. Vicit charitas tua malitiam meam, vicit ignis ille frigus meum, vicit benignitas omnia peccata mea. & quid est, Pater aeternè, quod me poterit separare à charitate tuâ? quomodo non libenter obediam omnibus mandatis tuis, & faciam omnes voluntates tuas: virtutem N. sequar, & vestigia dilectissimi filii tui?

Benedic anima mea Domino, & omnia qua intra me sunt Psal. 102.
nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordiâ & miserationibus. Nisi enim tu, Domine, adjuvisses nos, & quotidie servares, paulò minùs in inferno habitasset anima mea: sed manus tue quæplasmaverunt me, & fecerunt me, ille fecerunt virtutem, & liberarunt me de inimicis meis, impleverunt me omnî benedictione. quacumque enim video creata, dona tua sunt, quibus me invitas, ut serviam tibi: non enim ea propter te, quasi iis egeas, neque propter se, sed ut electis tuis servirent, & illi tibi. Neque minoris ea aestimare debeo, quòd aliis communia; quia hoc ipsum beneficium mihi est maximum, & pro eo gratias tibi ago, Domine, ac pro beneficiis omnibus alicui mortalium concessis, eoq; magis, quo minùs illi agnoscunt, & benedicunt te.

Ago verò tibi in primis gratias, quòd capiti nostro Christo Gratiarum actio pro beneficiis aliis concessis.
JESU, humanitati ejus dedisti divino Verbo copulari, & diademâ speciei, ut sit Rex regum, & Dominus dominantium. Pro omnibus item donis & gratiis illi collatis, de cujus abundantia nos omnes accepimus. Gratias ago pro omnibus item beneficiis, qua liberali manu tuâ in purissimam Virginem contulisti, quodq; eam in matrem Filii elegeris, & supra Angelos collocasti. Gratias etiam ago pro Angelis fidelibus, qui retinuerunt gratiâ tuâ principatum suum; pro Sanctis, qui ad finem usque perseverarunt propter te, & de se ac mundo triumpharunt; pro justis denique omnibus & improbis, quos magnificâ gratiâ tuâ prevenisti, & quotidie prevenire dignaris. dignus es enim, Do- Psal. 68.
mine Deus, ut benedicant tibi calum & terra, & omnia quæ in

Applicatio
ad Com-
munionē.

eis sunt, & omnia enarrent gloriam tuam. Utinam, utinam sic vivam, ne pœniteat te aliquando liberalitatis tuæ, ne irascaris propter iniquitatem avaritiæ meæ, & abscondas faciem tuam à me. Sed spero quod non poteris, quia pignus habeo amoris tui, corpus & sanguinem tuum, & scio quia diligentes te diligis, & ego uti spero te diligo, saltem diligere toto corde volo, & si desiderium pauperum exaudis, & voluntatem timentium te facis, confido humillimè quod non proficies me à facie tuâ, neque despicias me in æternum. Sed veniens venies & non tardabis, & merces tua tecum, id est, teipsum dabis mihi, ut ego me tibi. Qualis permutatio! ô quanta tua dignatio! Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sacula, &c.

Gratiæ pro
vocatione.

Memento, Domine, quod vineam hanc animam meam, de Aegypto & Aegyptiis tenebris transtulisti, projecisti gentes plurimas, & plantasti eam, dux itineris fuisti in conspectu eius, & constituisti eam in monte sancto tuo, Ecclesiâ tuâ, & hujus vocationis. quæso te per immensam charitatem tuam, noli permittere, ut, cum exspectaveris ab æterno, & speraveris uvas, tibi proferam labruscas: ne dicere illud, quod olim de populo electo, de me possis: Ego te plantavi vineam electam, omne semen verû: quomodo ergo mihi conversa es in pravum vinea aliena? Avertatur, obsecro, ira tua ista à me, & ne unquam ponas eam desertam, ut

Isaiæ 5.
Jerem. 2.

Psal. 1.

ascendant vepres & spinæ: sed sit anima mea sicut hortus irriguus virtutibus floridus, sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum tibi reddat in tempore suo: ne veniens, & non inveniens fructum veræ virtutis maledicas mihi, ut ficui illi, & numquam quisquam ex eâ fructum videat. Benedic, Domine, operi manuum tuarum anima meæ, ut benedicat tibi in omni tempore, nunc quidem virtute verâ & pietate, in æternum verò laudibus, & hymnis, & canticis, ardentissimâq; charitate. Amen. Amen.

Matth. 21.

Praxis agendi Deo gratias ob beneficia.

Certis festis
beneficia
recole.

PRIMÒ, sæpè per diem, & maximè in Sacro & examine, Deo pro omnibus gratias agere.
Secundò, beneficia præcipua aliquibus per annum festis recolere:

colere: quemadmodum in publicis fieri videmus. ac proinde diem natalis, vel proximum aliquem pro gratiâ Baptismi solemnem habere, & confessione, communione, eleëmofynis, & ejusmodi pietatis exercitiis colere, &c.

Tertiò, etiam praxis utilis est, idque maximè diebus Dominicis; per singulas horas unum aliquod memorare beneficium, Deumque laudare, atque ita cælestem vitam in terris inchoare. *Dominicis beneficia recole.*

Quartò, non solum autem pro magnis, sed etiam pro minimis beneficiis gratum esse oportet. unde D. Franciscus, inspirationem percipiens, mox vel in mediis plateis consistebat, gratias agebat, & hoc ipsum pro singulari gratiâ accipe, te posse Deo grates persolvere. *Minima etiam appende.*

Quintò, observa omnia, quæ nobis obveniunt à quocumque, Deo retribuenda esse, & accepta ferenda, ut sic amor & charitas maximè in Deum auctorem omnis boni referatur; neque tantum de bonis id accipe, sed etiam adversis. Non minus prodest medicus secans, quàm demulcens, neque urens quàm refrigerans. Quid ergo melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo scribamus, quàm, Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. *Tribue omnia Deo. August. ep. 77. ad Med.*

Dignatus es, ut suprâ pag. 10.

JACULATORIÆ.

Benedic anima mea Domino, & omnia qua intra me sunt nomini sancto ejus. *Psal. 102.*

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Ibidem.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, qua retribuit mihi? *Psal. 115.*

Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus anima mea. *Psal. 65.*

Misericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem, annuntiabo veritatem tuam in ore meo. *Psal. 38.*

VIGESIMÆSEPTIMÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Contemplare hinc Denm , indè Luciferum: vide an hinc per vitium , an illi præstet per virtutem servire.

Alter utri seruias necesse est , aut **A** Deo , aut **B** diabolo, utrum præstat ? **C** Virtus, ut Deo; **D** vitium, ut demoni seruias , inuitat. Vide quid agas. quis enim Deus ? **E** trinus & unus, **F**ons omnis boni, **G** aternus, **H** omnipotens, **I** sapientissimus, **K** liberalissimus, solus **L** cor exsatians, omnia **M** implens, & ubique præsens, **N** justissimus & **O** Rex summus. Ad eum accede, omniaq; ei offer, **P** cor ei, velut ardens amore **Q** sponsa, per **R** fidem, spem & charitatem trade, quousq; potes, ad eius amorem **S** trabe, zelo honoris eius succensus, omniaq; ad gloriam eius facito.

CAPVT